



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinqve

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post
Præfationem Indicantvr

Suárez, Francisco

[Köln], 1619

3 Vtrum effectus huius sacramenti sit remissio peccati mortalis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

adest; & ideo, cum hoc sacramentum perficiat charitatem, de se etiam excitabit ad actualem amorem. Quae ratio, si efficax est, idem probat de omnibus sacramentis, quae virtutem habent ad gratiam & charitatem augendam, nisi dicamus, esse in hoc speciale rationem, tum, quia per se primo institutum est ad charitatem nutriendam & augendam; tum etiam, quia, cum detur per modum cibi & potus, ex propria sua ratione postulat, ut spiritualem delectationem & fructum afferat: & hoc insinuavit D. Thomas in fine solutionis, accommodans verba illa Canticor. 5. Comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi.

In solutione ad 3. addit D. Thomas, hunc effectum gratiae, quem Eucharistia habet in anima, aliquo modo in corpus redundare, vel in hac vita, in qua corpus efficitur organum animae ad opera iustitiae perficienda: vel in futura, in qua corpus gloriam animae participat: de qua re propriam disputationem statim instituemus.

ARTICVLVS II.

Vtrum effectus huius sacramenti sit adeptio gloriae.

Inf. q. 80. ar. 2. ad 1. & 10. an. 6.

AD secundum sic proceditur. Videtur, quod effectus huius sacramenti non sit adeptio gloriae: effectus enim proportionatur suae causae: Sed hoc sacramentum competit viatoribus, vnde & viaticum dicitur: Cum igitur viatores nondum sint capaces gloriae, videtur, quod hoc sacramentum non causet adeptionem gloriae.

Lib. 21. c. 25. in fin. som. 5.

2. Praeterea, Postea causa sufficienti ponitur effectus. Sed multi accipiunt hoc sacramentum, qui nunquam perueniunt ad gloriam: ut patet per August. 21. de ciuit. Dei. Non ergo hoc sacramentum est causa adeptionis gloriae.

3. Praeterea, Maius non efficitur a minori, quia nihil agit ultra suam speciem. Sed minus est, accipere Christum, sub specie aliena, quod fit in hoc Sacramento, quam frui eo in specie propria, quod pertinet ad gloriam. Ergo hoc sacramentum non causet adaptionem gloriae.

Sed contra est, quod dicitur Ioan. 6. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in aeternum. Sed vita aeterna, est vita gloriae. Ergo effectus huius sacramenti est adeptio gloriae.

RESPONDEO dicendum, quod in hoc Sacramento potest considerari, & id, ex eo quo habet effectum; scilicet ipse Christus contentus, & passio eius representata; & id, per quod habet effectus, scilicet, vsus sacramenti; & species eius. Et quantum ad verumque competit huic Sacramento, quod causet adeptionem vitae aeternae. Nam ipse CHRISTVS per suam passionem aperuit nobis aditum vitae aeternae; secundum illud Hebr. 9. Noui testamenti mediator est, ut morte intercedente, quo vocati sunt, accipiant re promissionem aeternae hereditatis. Vnde & in forma huius sacramenti dicitur, Hic est calix sanguinis mei, noui & aeterni testamenti. Similiter etiam refectio cibi spiritualis, & vnitas significata per species panis & vini, habentur quidem in presenti, sed imperfecte; perfecte autem in statu gloriae. Vnde Augustinus * dicit super illud Ioan. 6. Caro mea verè est cibus; Cum cibo & potu id appetant homines, ut non esuriant, neque stiant, hoc veraciter non praestat, nisi iste cibus & potus; qui eos, à quibus sumitur, immortales & incorruptibiles facit in societate Sanctorum, vbi pax erit, & vnitas plena atque perfecta.

Tractat 26 in Euang. no multum remore à fin. som. 9.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut passio CHRISTI, in cuius virtute hoc sacramentum operatur, est quidem causa sufficienti gloriae, non tamen ita, quod statim per ipsam introducamur in gloriam, sed oportet, ut prius simul compariamur, ut postea simul glorificemur (sicut dicitur Romanor. 8.) ita hoc sacramentum non statim nos in gloriam introducit, sed dat nobis virtutem perueniendi ad gloriam, & id-

eo viaticum dicitur. In cuius figuram legitur 3. Regum 19. quod Elias comedit & bibit, & ambulauit in fortitudine cibi illius quoadraginta diebus & quadraginta noctibus, vsque ad montem Dei Oreb.

Ad secundum dicendum, quod sicut passio Christi non habet suum effectum in his, qui se ad eam non habent, ut debent: ita per hoc sacramentum non adipiscuntur gloriam, qui indecenter ipsum suscipiunt. Vnde Augustinus * dicit super Ioan. 6. exponens illa verba: Aliud est sacramentum, & aliud virtus sacramenti: Multi de altari accipiunt, & accipiunt, & ipsi moriuntur. Panem ergo celestem spiritualiter manducate, sicut illi innocenti ad altare apportate. Vnde non est mirum, si illi, qui innocenti non seruant, effectum huius sacramenti non consequantur.

Ad tertium dicendum, quod hoc, quod Christus sub aliua specie sumitur, pertinet ad rationem sacramenti, quod instrumentum aliter agit. Nihil autem prohibet, causam instrumentalem producere potiore effectum, ut ex supra dictis * patet.

COMMENTARIVS.

IN hoc articulo, si res attente consideretur, non declaratur nouus effectus huius sacramenti distinctus ab eo, qui articulo praecedente positus est, & ab illo, quem ar. 6. D. Thom. docet: consistit enim, sacramentum hoc non conferre gloriam immediate, sed gratia, per quam anima in se ipsa perficitur, gloria vero in futura vita danda reuertetur; solum ergo adeptio gloriae potest tribui huic Sacramento in semine & radice: vel quia conferendo gratiam dat ius ad gloriam, quod suo modo commune est omnibus sacramentis: vel quia non solum dat gratiam, sed etiam dat speciale auxilium ad perseverandum in illa, ut dicitur art. 6. gratiae enim vsque ad finem conseruatae debetur gloria: & ideo specialiter hic effectus huic Sacramento tribuitur: & ita sunt faciles rationes D. Thomae & solutiones argumentorum. In quarum prima fatis aperte praedictum sensum D. Thomae exponit.

ARTICVLVS III.

Vtrum effectus huius sacramenti sit remissio peccati mortalis.

AD tertium sic proceditur. Videtur, quod effectus huius sacramenti sit remissio peccati mortalis, dicitur enim q. 2. in quadam Collecta; Sit hoc sacramentum ablutio scelerum. Sed scelera dicuntur peccata mortalia. Ergo per hoc sacramentum peccata mortalia abluuntur.

2. Praeterea, Hoc sacramentum agit in virtute passionis CHRISTI, sicut & Baptismus. Sed per Baptismum dimittuntur peccata mortalia, ut supra * dictum est. Ergo & per hoc sacramentum praesertim, cum in forma huius sacramenti dicatur. Qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

3. Praeterea, Per hoc sacramentum gratia confortatur, ut dictum est. * Sed per gratiam iustificatur homo a peccato mortali secundum illud Rom. 3. Iustificati gratia per gratiam ipsius. Ergo per hoc sacramentum remittuntur peccata mortalia.

Sed contra est, quod dicitur 1. Corinth. 11. Qui manducatur & bibit indigne, iudicium sibi manducatur & bibit. Dicit autem Glos. ibidem, quod ille manducatur & bibit indigne, qui in crimine est, vel irreuerenter tractat: & talis manducatur, & bibit sibi iudicium, id est, damnationem. Ergo sibi, qui est in peccato mortali, per hoc, quod accipit hoc sacramentum, magis accumulatur sibi peccatum, quam remissionem sui peccati consequatur.

Respondeo dicendum, quod virtus huius sacramenti per-

est considerari dupliciter. Vno modo secundum se: & sic hoc sacramentum habet virtutem ad remittendum quacunq; peccata ex passione Christi, qua est fons & causa remissionis peccatorum.

Alio modo potest considerari per comparationem ad eum, qui recipit hoc sacramentum prout in eo inuenitur, vel non inuenitur impedimentum percipiendi huius sacramenti effectum. Quicunq; autem habet conscientiam peccati mortalis, habet in se impedimentum percipiendi effectum huius sacramenti, eo quod non est conueniens susceptor huius sacramenti: tum quia non uiuit spiritualiter, & ita non debet spirituale nutrimentum suscipere, quod non est nisi uiuentis: tum quia non potest uniri Christo (quod fit per hoc sacramentum) dum est in affectu peccandi mortali. Et ideo, ut dicitur in lib. 8. de Ecclesiasticis dogmatibus, si mens in actu peccandi est, grauat magis Eucharistiae perceptione, quam purificetur. Vnde hoc sacramentum in eo, qui ipsam percipit in conscientia peccati mortalis, non operatur remissionem peccatorum. Potest tamen hoc sacramentum operari remissionem peccati dupliciter. Vno modo non perceptum actu, sed voto, sicut cum quis primo iustificatur a peccato: Alio modo etiam perceptum ab eo, qui est in peccato mortali, cuius conscientiam, & affectum non habet. Forte enim primo, non fuit sufficienter contritus: sed deuote & reuenter accedens consequitur hoc sacramentum gratiam charitatis, qua contritionem perficit, & remissionem peccati.

Ad primum ergo dicendum, quod perimus, ut hoc sacramentum sit ablutio scelerum, vel eorum, quorum conscientiam non habemus secundum illud 1. 8. Ab occultis meis munda me Domine, vel ut contritio in nobis perficiatur ad scelerum remissionem; vel etiam, ut nobis obstruatur ad scelera uitanda.

Ad secundum dicendum, quod baptismus est spiritualis generatio, quae est mutatio de non esse spirituali in esse spirituale, & datur per modum abluitionis. Et ideo quantum ad virtutem non inconuenienter accedit ad baptismum, qui habet conscientiam peccati mortalis. Sed per hoc sacramentum homo sumit in se Christum per modum spiritualis nutrimenti, quod non competit mortuo in peccatis. Et ideo non est similis ratio.

Ad tertium dicendum, quod gratia est sufficiens causa remissionis peccati mortalis, non tamen actu remittit peccatum mortale, nisi cum primo datur peccatori. Sic autem non datur in hoc sacramento. Vnde ratio non sequitur.

COMMENTARIUS.

Præcipua assertio D. Thomae in hoc art. est, hoc sacramentum non remittere peccatum mortale ei, qui ad illud suscipiendum accedit cum conscientia peccati mortalis. Ad intelligendum autem sensum D. Thomae, oportet declarare, quid sit accedere cum conscientia peccati mortalis. Aliqui enim existimant, accedere cum conscientia mortalis peccati, nihil aliud esse, quam accedere cum affectu actuali, vel virtuali ad peccatum mortale. Quae expositio fundari potest in textu D. Thomae: nam probat prædictam conclusionem hac ratione: Quia non potest uniri Christo (quod fit per hoc sacramentum) qui est in affectu peccandi mortaliter: & ideo, ut dicitur in li. de Ecclesiast. Dogmat. si mens in actu peccandi est, grauat magis Eucharistiae perceptione, quam purificetur. Vnde concludit: Hoc sacramentum in eo, qui ipsum percipit in conscientia peccati mortalis, non operatur remissionem peccati: ergo iuxta mentem D. Thomae id est sunt accedere cum conscientia, & cum affectu peccati, vel saltem vnum aliud includit: alioquin non recte argumentatur. Nihilominus dicendum est, aliud esse, accedere cum conscientia, aliud cum affectu peccati, ut recte docuit Caiet. hic; & expresse colligitur ex solutione ad 2. ubi D. Thom. dicit: posse aliquem accedere ad baptismum, habentem conscientiam peccati mor-

talis; & tamen non indigne accedere, nec ponere obicem: impossibile autem est, accedere cum affectu ad peccatum mortale, & non indigne accedere: imo, si quis habet conscientiam peccati mortalis, non satis est, ut non habeat affectum ad tale peccatum, sed necesse est, ut accedat cum aliqua detestatione eius, ut non ponat obicem baptismi sacramento, ut in superioribus demonstratum est contra Caietanum, qui etiam hic oppositum indicat: ergo habere conscientiam peccati iuxta mentem D. Th. non est habere affectum peccati; sed est accedere cum conscientia & cognitione proprii peccati mortalis prius commissi, & adhuc perseverantis, quod ad maculam & reatum in anima ob defectum doloris seu detestationis sufficientis ad expulsionem eius, quo modo accedit cum conscientia peccati, etiam ille, qui accedit cum attritione cognita, quia accedit iudicans se adhuc esse in peccato. Et confirmatur hæc expositio primo, ex vi, & proprietate ipsius nominis (conscientia) quod non affectum, sed scientiam & dictamen practicum significat. Secundo, quia hoc modo est vera & facilis differentia, quam D. Tho. ponit inter baptismum & Eucharistiam, quae alia ratione intelligi non possent, scilicet, quod Eucharistia interdum potest hominem iustificare, dum modo conscientiam & affectum peccati excludat; baptismus autem ut iustificet, non necesse est, ut excludat conscientiam, sed satis est, quod affectum peccati excludat, non tantum negatiue, sed et contrarie per aliqualem detestationem, ut dixi. Tertio, quia D. Tho. in prima ratione probat suam assertionem: quia non est conueniens susceptor huius sacramenti, qui spiritualiter non uiuit: non uiuit autem spiritualiter, quicunq; habet conscientiam peccati mortalis, quamuis non habeat affectum eius. Tandem, id expresse exposuit D. Tho. infra q. 80. ar. 4. ad 5. ubi, ut aliquis dicatur, accedere sine conscientia peccati, non solum requirit, ut accedat sine affectu, aut cum aliqui detestatione peccati, sed etiam ut accedat cum inculpabili ignorantia sui peccati, existimans in simili, quod vir contritus accedit.

Neque contra hanc expositionem obstat modus loquendi D. Tho. in secunda ratione: supponit enim ex prioritate, eum, qui ad hoc sacramentum accedit cum conscientia peccati mortalis, hoc ipso accedere cum actuali affectu peccati: quia in eo ipso, quod ita uult accedere, actualiter peccat; & ideo in praesente materia confundit illa duo, accedere cum conscientia, & cum affectu peccati. Ex hac ergo expositione sequitur, iuxta mentem D. Tho. nullum, qui in peccato mortali existit, consequi illius remissionem per hoc sacramentum, si absq; illius contritione accedat, aut vera, aut saltem inuincibiliter existimata. Addit uero D. Thom. in fine art. posteriorem conclusionem; posse interdum per hoc sacramentum remitti peccatum mortale, si quis reuenter illud sumat in statu peccati mortalis, de quo non satis in re ipsa contritum, quamuis, inculpabiliter tamen, existimet, se esse contritum: tunc enim, inquit, consequetur per hoc sacramentum gratiam charitatis, quae contritionem perficit, & remissionem peccati. Vbi non intelligendum, contritionem intrinsece perfici per mutationem ipsius actus, quae in eodem instante fieri non potest, sed per infusionem habitus gratiae, vel charitatis, ut in superioribus dictum est. Hæc uero conclusionem D. Thom. non probat, quia supponit, facile posse à simili probari ex dictis in art. 1. & in hoc eodem articulo, in quo D. Thom. repetit distinctionem ibi declaratam de hoc sacramento secundum se, seu ratione rei contentae in ipso: ratione cuius ait esse ex se sufficientem ad remittenda omnia peccata, & illa de facto remittere in voto susceptum, quae omnia necessario intelligenda sunt iuxta sensum ibi declaratum, scilicet, quod tribuantur huic sacramento per communicationem idiomatum, ratione Christi in ipso contenti. Hinc uero satis probatur



biliter colligitur, cum Christus secundum se sit effi-
cax ad remittendum peccatum, etiam in hoc sacra-
mento habere eandem efficaciam, si ex parte suscipien-
tis non sit impedimentum; cuiusmodi nullum est
in eo, qui absq[ue] conscientia, & cum derelatione pec-
cati, reuerenter communicat.

ARTICVLVS V.

Utrum per hoc sacramentum remittantur peccata
venialia.

*Inf. q. 87. ar.
5. cor. 4. d.
12. q. 2. ar. 1. q.
2. cor. 4. 2.
q. 1. per totu[m]
Tract. 26. in
Ioan. a med.
10. 9. Et re-
fertur de
Consec. d. 1. c.
Hoc sacra-
mentum.
1. 2. q. 88. art.
1. & 2.*

AD quartum sic proceditur. Videtur, quod per hoc sacra-
mentum non remittantur peccata venialia. Hoc enim
sacramentum, vt Augustinus dicit super Ioan. est sacramentum
charitatis. Sed venialia peccata non contrariantur charitati:
vt in secunda parte habitum est. Cum ergo contrarium tol-
latur per suum contrarium, videtur, quod peccata venialia per
hoc sacramentum non remittantur.

2. Præterea, Si peccata venialia per hoc sacramentum re-
mittuntur, quæ ratione remittitur vnum, remittuntur & om-
nia. Sed non videtur, quod omnia remittantur, quia sic fre-
quenter aliquis esset absq[ue] omni peccato veniali, contra id quod
dicitur 1. Ioan. 1. Si dixerimus, quia peccatum non habemus,
ipsi nos seducimus. Non ergo per hoc sacramentum remittitur
aliquod peccatum veniale.

*Tract. 26. in
Ioan. parum
a med. 10. 9.*

3. Præterea, Contraria mutuo se expellunt. Sed peccata ve-
nialia non prohibent à perceptione huius sacramenti, dicitur
Ioan. parum Augustinus super illud Ioan. 6. Patres vestri manducauerunt
à med. 10. 9. manna in deserto, & mortui sunt: Innocentiam, inquit, ad al-
tare apportate, peccata, etsi sint quotidiana, non sint mortifi-
fera. Ergo neq[ue] peccata venialia per hoc sacramentum tollun-
tur.

*In libro 4. de
sacro myste-
rio altaris c.
44. ante m. e.*

Sed contra est, quod Innocentius III. dicit, quod hoc sacra-
mentum venialia delet, & cauet mortalia.

Respondendo dicendum, quod in hoc sacramento duo possunt
considerari; scilicet, ipsum sacramentum, & res sacramenti.
Et ex utroq[ue] apparet, quod hoc sacramentum habet virtutem
ad remissionem venialium peccatorum. Nam hoc sacramentum
sumitur sub specie cibi nutrientis. Nutritum autem cibi
est necessarium corpori ad restaurandum id, quod quotidie de-
perditur per actionem caloris naturalis. Spiritu aliter autem
quotidie aliquid in nobis deperditur ex calore concupiscentie
per peccata venialia, que diminuunt feruorem charitatis, vt
2. 2. q. 24. ar. in secunda parte habitum est. Et ideo competit huic sacra-
mento, vt remittat peccata venialia. Vnde & Ambrosius dicit
in libro de sacramentis, quod est panis quotidianus sumitur in
remedium quotidiane infirmitatis. Res autem huius sacra-
menti est charitas, non solum quantum ad habitum, sed etiam
quantum ad actum, qui excitatur in hoc sacramento per quod
venialia soluantur. Vnde manifestum est, quod virtus huius
sacramenti remittuntur peccata venialia.

*2. 2. q. 24. ar.
10. Lib. 5. c. 4.
a med. 10. 4.*

Ad primum ergo dicendum, quod peccata venialia, etsi non
contrariantur charitati: quantum ad habitum, contrariantur
tamen ei, quantum ad fauorem actus, qui excitatur per
hoc sacramentum, ratione cuius peccata venialia tolluntur.

Ad secundum dicendum, quod illud verbum non est intelli-
gendum, quin aliqua hora possit homo esse absq[ue] omni reatu
peccati venialis, sed quia vitam istam Sancti non ducunt sine
peccatis venialibus.

Ad tertium dicendum, quod maior est virtus charitatis, cuius
est hoc sacramentum, quam venialium peccatorum. Nam
charitas tollit per suum actum peccata venialia, que tamen
non possunt totaliter impedire actum charitatis. Et eadem ra-
tio est de hoc sacramento.

COMMENTARIVS.

Afirmat D. Tho. Eucharistiam remittere venia-
lia peccata, & assignans duplicem rationem huius
veritatis, duplicem modum insinuat, quo fieri
potest hic effectus. Vnus est, immediate conferendo
ex opere operato remissionem peccati venialis, absq[ue]

que mutatione actualis dispositionis in homine ex-
istentis, sicut articulo precedente dicebamus, inter-
dum remitti peccatum mortale per hoc sacramen-
tum. Secundus modus esse potest mediatus, nimirum,
si ratione sacramenti fiat actualis immutatio in ho-
mine, qua perficiatur talis actus charitatis, quo ex-
pellantur venialia peccata, D. Thom. ergo vtrumq[ue] mo-
dum docere videtur. Et primum probat in prima ra-
tione ex ipso signo sensibili talis sacramenti, quod in
cibo & potu consistit: nam proprium est cibi instaurare,
quod per actionem caloris deperditur; per calo-
rem autem fomitis quodammodo immittitur
virtus charitatis, non in se ipso, sed propter adiuncta
impedimenta venialium peccatorum: hæc ergo tolluntur
virtute huius spiritualis cibi & potus. Secun-
dum autem modum probat secunda ratione: quia
hoc sacramentum habet ex se vim excitandi actuali
feruorem charitatis; & ideo hoc etiam modo potest
tollere venialia peccata. Et iuxta hæc facili est solu-
tio ad 1. vbi D. Tho. ait peccata venialia impedire feruorem
charitatis, qui excitatur per hoc sacramentum; & ideo
per illud tolluntur: hæc enim verba possunt ad vtrumq[ue] dictum
sensum accommodari; scilicet, quod hoc sacramentum tollit
peccatum veniale, excitando feruentem actum charitatis illi
repugnans, vel è contrario, quod remittit peccata venialia, vt
ipsa charitas expedita sit ad feruenter operandum.
Vnde falso aliqui tribuunt D. Thom. quod aliter per
hoc sacramentum non remittit peccatum veniale, nisi
mediante actu charitatis formaliter illi repugnante; hoc enim
D. Tho. nunquam dixit, neq[ue] verum est, vt in
disputatione sequente ostenditur.

In solutione ad secundum D. Thomas indicat, Ex parte
per hoc sacramentum non remitti aliquod peccatum veniale,
quin remittantur omnia: hoc etiam in argumento fumpserat;
& id tacite concedit: nam propterea respondet, posse hominem
aliqua hora esse sine illo peccato veniali, quamuis non possit
totam vitam sine venialibus peccatis transigere. Sed non est
hoc in intelligendum vniversaliter, sed permittit tantum
itaque potest hoc sacramentum remittere omnia venialia,
& hoc intendit D. Thom. in responsione sua, non est tamen
necessarium, vt, quandounque aliqua remittit, remittat omnia;
quia potest homo obicem ponere quorundam remissioni,
& non aliorum, vt latius in materia de Penitentia dictum
fuit.

ARTICVLVS V.

Utrum per hoc sacramentum tota pena peccati remittatur.

AD quintum sic proceditur. Videtur, quod per hoc sacra-
mentum tota pena peccati remittatur. Homo enim per
hoc sacramentum suscipit in se effectum passionis Christi, vt
dictum est sic per baptismum. Sed per baptismum percipit
homo remissionem omnis pena, virtute passionis Christi, a qua
qua sufficiens satisfecit pro omnibus peccatis, vt ex supra dictis
clausis patet. Ergo videtur, quod per hoc sacramentum hominis
remittatur totus reatus pena.

2. Præterea, Alexander Papa dicit, Nihil in sacrificio magis
ius esse potest, quam corpus & sanguis Christi. Sed per sacrificia
veteris legis, homo satisfaciebat pro peccatis suis, dicitur
Leuit. 4. c. 5. Si peccauerit homo, offerat hoc, vt illud pro peccato
suo, & remittetur ei. Ergo multo magis hoc sacramentum
valet ad remissionem omnis pena.

3. Præterea, Constat, quod per hoc sacramentum aliquod
reatus pena dimittitur, vnde & in satisfactionem aliquis
iungitur, quod pro se Missas faciant celebrari. Sed quæ ratio
vna pars pena dimittitur, eadem ratione & alia, cum virtus
Christi, qua in hoc sacramento continetur, sit infinita. Ergo
videtur, quod per hoc sacramentum tota pena tollatur.